

ratione templi sacrario fuisse illata. Eodem quoque Principe Lotharius Imperator, quod plerique alii deinde Imperatores fecere, veteres immunitates ac cætera libertatis jura, ut in violatæ Venetis manerent, rescripto constare voluit. Cæterum ut Respublica ea tempestate infœliciter foris administrata est, ita domi quoque nihilo fœlicior fuit. Civili discordia non mediocriter jactata est, sex illustribus familiis in factiones duas sua studia trahentibus: hinc Justiniani, Polani, & Basiji: inde Barbolani, Selii, & Sevoli in adversum nitentes, fœdissima spectacula populo sèpius præbuerunt. Sed quum pene ad internectionem inter eos vario eventu media urbe eis et pugnatum, Barbolani cum hominibus suæ factionis civitate ejecti sunt: verum non multo post Lodovico Imperatore, ad quem confugerant, annitente, compositis inter utramque factionem rebus, in civitatem restituti sunt. Hæc Petri Tradonici Principatu domi forisque gesta: qui, quum aliquot annos Joanne filio defuncto, quem sibi collegam in Principatu cooptaverat, Rempublicam solus administrasset, sacrorumque hora in Zachariæ ædem venisset, factum est, ut quum domum se reciperet, subita conjuratione exceptus, undetricesimo sui Principatus anno sit trucidatus. In re autem tam trepida ministri, qui de more illi apparebant, charitate, ut fit, & studio in senem, aliquandiu injuriam ab eo propulsare sunt conati: sed a pluribus atque eisdem melioribus, pulsi, subito tumultu Ducarium occupavere: ubi a conjuratis obsessi triginta dies, se loco tutati sunt; accepta demum publica fide, ne cui eorum capitali fraudi eis et, quod Principis optimi vitam adversus nefariam conjurationem tueri voluissent, quodque ut suam salutem a parricidarum injuria tutarentur, publicum locum occupassent, occupatumque semel ad eam diem pertinaciter defendissent: pacti ad hæc, ne civitas impune id factum pateretur, quod facinoris homines Principem optimum, ac nihil tale meritum, tam fœde trucidassent: indignum fore prædicantes, cives in ea urbe conspici, in qua parricidium per scelus commisissent, populi faciem summi Magistratus crux respersissent. His conditionibus ex Ducario in æquum descendere. Populus

841

*Civilis di-  
scordia pro-  
pter fa-  
ctiones familia-  
rum illu-  
strium.*

864

*Tradonicus  
Princeps &  
conspiratis  
nefarie tru-  
cidatur.*

Trium-